

Bibliothèque numérique

medic@

**Lachaud, Antoine-Guillaume -
candidat / Hevin, Prudence -
président. - [De uteri polypo]**

1753.

***Paris : Typis FR. Delaguette
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°27***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0027



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.



RO diverso sexu, varii morbi. Non tantum exquisitâ & concinnâ corporis dispositione, oris venustate, morum leporibus, societatis amœnitate, à maribus discrepat sexus amabilis; hunc quoque debiliorem impugnat peculiaris morborum cohors, ipsisque in partibus, generationis mysterio dicatis, fato quodam ineluctabili, propriam frequentius constituit sedem. Graviora inter hæc mala, quibus sors atra premit femineum genus, uteri Polypus merito annumerandus. Hujusce morbi descriptioni Anatomicam Muliebrium expositionem præmittere juvat.



EX ANATOMIA.

I.

INTERNA & externa ritè censentur Mulierum genitalia: Hæc citrà sectionem facilè conspicienda; Nempè Pubes, Monticulus veneris, Labia, Frænulum, Vulva, Scapha, Perinæum, Nymphæ, Carunculæ myrtiformes, Clitoridis extremum, Urethræ Vaginæque orificia. Harum-ce partium descriptioni, utpote inutili, nostroque instituto minùs necessariæ superfedemus.

I I.

CÆTERIS ex partibus internis prima occurrit vagina, à Pudendis ad uterum usque expansa: hæc, Rectum inter & Vescicam urinariam medium obtinens locum, cum illis connexa, pro usu, ætate, mulieris statu, modò longior, modò latior aut angustior, plurimis conflatur membranis: Prima, à cellulari peritonæi textu oriunda, alteri musculosæ, fibrisque circularibus constanti, substernitur. Nervosam dicunt internam, quæ magis extensa, foraminulisque pertusa, plurimas efformat rugas, in virginibus conspicuas, in mulieribus verò ut plurimum oblitteratas.

I I I.

IN supremâ vaginæ parte hiat Uterus. In pelvi hypogastricâ (a) situs, piri depressi figuram, in graviditate tamen mutantam non malè referens, fundum superiorem paululumque posteriorem, cervicem verò inferiorem habet & anteriorem. Uteri substantia mollis, crassior, cellulosa, fibris vasculosis, carneis & extensilibus constituitur, obtinetque cavitatem, in statu naturali, minorem ferèque triangularem, pro variis verò casibus, mirum in modum dilatandam.

I V.

TRIPLICI foramine pervius est Uterus. Unum inferius;

(a) Variis de causis natus mutari potest uteri situs, ut ex Polypo, verbi gratiâ, graviditate præter naturam, prolapsu, inversione, &c. Vid. Ruysch. Obs. Anat. Chir. cent. Obs. 88. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. C. 35.* Heister *Ephem. Acad. Nat. Cur. cent. 5. & 6. Obs. 86.*

maius, oblongum, in ipsamet uteri cervice, intra vaginam protuberanti conspicuum, dat orificium uterinum, ex peculiari conformatione à quibusdam *os tinæ* nuncupatum. Alia verò superiora, minora, lateraliter in fundo uteri patentia. Tubis hiant Fallopianis.

V.

REGIONIBUS iliacis, Tubis Fallopianis, necnon & Ovariis, mediantibus ligamentis latis, ab expansione peritonæi productis, conneditur uterus. Anteriùs verò, per ligamenta teretia, à parte superiori & anteriori orta, ex abdomine per annulos Musculi obliqui majoris prodeuntia, Pubi adhæret.

V I.

E PARTIBUS uteri lateralibus emergit ductus membranaceus, oblongus, non recto sed rugoso tramite recedens, qui primò angustior, postea latior, deinceps in extremo rursum coangustatus, dat corpus fimbriatum.

V I I.

PROXIME reperiuntur duo corpora albicantia, ferè ovata, supernè gibbosa, infernè plana, cum utero, non tantum ligamentis latis, verum etiam ligamento peculiari, minori, tereti, à Veteribus pro vase deferente perperam habito, connexa. Hæc plurimis membranis, textu spongioso vesiculisque conflata, à quibusdam Testes muliebres, à cæteris ovaria vulgò nuncupantur.

V I I I.

A NERVO sympathico majori paribusque sacris Nervos; ab Aortâ iliacisque internis Arterias mutuatur uterus. Venæ verò, Arteriarum spermaticarum soboles, in venam cavam & emulgentem, pro diverso latere, sanguinem deponunt; & aliæ, ab iliacis internis, venas versùs iliacas derivantur.

E X C H I R U R G I A.

I.

TUMOR quilibet fungosus, carnosus-ve, aut carneam saltem mentiens indolem, ut plurimum piriformis, interdum ferè glo-

4

hossus ; ex ipso uteri sinu ; orificio uterino ; aut vaginâ ; mediante pediculo , propendens , ob similitudinem cum Polypotarium & faucium , Polypus rectè (a) vocatur.

I I.

QUI muliebria occupant Polypi , exteriusque prodeunt nomine Caudæ vel *Cercosis* , apud quosdam (b) notantur. Cauda autem sive *Cercosis* à plurimis (c) habetur nimia clitoridis excrecentia. Cum verò hos inter morbos discrimen sanè adsit ratione sitûs , indolis , figuræ , accidentium , hinc ipsos jure ac meritò facilè distinguendos putamus : hincque Molam uterinam pediculo pendulam , excrecentiamque quamlibet fungosam , carnosam-vè , ab utero , uteri osculo , aut vaginâ pensilem , pudendumque muliebre replentem , exterius licet aliquandò Caudæ progressum mentiatur , ad Polypum nunquam non referendam esse judicamus.

I I I.

INTER hujusce Polypî causas recensenda quæcumque textum uterinum erodere , vasa sanguifera coardare , vasculorum vim-ve elasticam deicere queunt , æquilibriumque hos inter tubos succosque permeantes necessariò requisitum interturbare : Nempè , compressiones locales & constantes , ulcuscula , peculiaresque interioris vaginæ uterique membranæ disruptiones.

I V.

HIS ex causis , fungosæ ut plurimùm suboriuntur excrecentiæ , primò quidem exiles , quarum verò incrementum semperpetendum ab extensione aut dilatatione varicosâ , atoniâque

(a) Sic jam jam sensere Ruyschius Obs. Anat. Chir. cent. Obs. 6. Schurrius Muliebr. Hist. Med. Sect. 2. Cap. 1. Fred. Hoffman. Dec. 2. Diff. 3. de ignoratâ uteri structurâ multorum in Medicinâ errorum fonte §. 17. 18. 19. Magist. Levret in egregio libello gallicè inscripto. *Observations sur la cure radicale de plusieurs Polypes de la Matrice , de la Gorge & du Nez.*

(b) M. A. Severin. Med. effic. Part. 2. Cap. 94. p. 265. Aëtius Libr. 4. Serm. 4. Cap. 104. Paul. Lib. 6. Cap. 7. Albucasis. Libr. 2. Cap. 71. Valentin. Chirurg. Sect. 3. Cap. 9. Jonston Med. pract. Libr. 10. Tit. 11. Cap. 1. Art. 1. Dionis Oper. Chir. Demonstr. 3. p. 282.

(c) Varandæus de Morb. Mul. Lib. 1. Cap. 13. Mercurialis de Morb. Mul. Libr. 4. Cap. 30. Schenckius. Obs. Med. de Genital. Mul. Ingrassias. Libr. de Tumorib. p. 273. Israel Spach. Gynæcol. fol. 286. Platerus Obs. Med. Libr. 3. Zacut. Lusitan. Prax. Med. admirab. Libr. 2. Obs. 91. Schurrius Mul. Hist. Med. Sect. 2. Cap. 1. Dictionar. Medic. in verbo. *Cercosis.*

vasculorum a quibus liquores affluentes debitum non experiuntur renixum; resque ferè sic se habet, ac in illà enormi quæ cariem humidam subsequitur hyperfarcosi, vulnera-ve pure depravato perfusa.

V.

NOTANDUM quidem hosce Polypos originem suam duntaxat ab affecto uteri vaginæ-ve punctulo ducere, ex quo carnea, ut ita dicam, gemma enascitur, quæ sensim ac sensim, majus, resistentiæ defectu, nanciscitur incrementum. Ideoque horum fungorum moles, quotidiano licet auditu major ac major facta, gracili exiguoque plus minùs-ve pediculo, læsæ uteri particulæ tantum adhærescit. Proinde sub hocce respectu, fungosa uterî excrementia ritè posset censerî velut quædam carnis luxuriantis hernia, ex dilatatione aut extensione immodicâ vasculorum, faciliiori jam tum humorum affluxu infarctorum exorta.

V I.

SITU, structurâ, indole, symptomatibusque discrepant Polypî. Hinc alii, ut jam innuimus, ab ipsomet utero, orificio uterî, aut vaginâ, originem suam sortiuntur: alii fungosi, cavi (a), carnosî, schirrosive deprehenduntur: alii deniquè dolent, inflammantur, exulceratione & gangrænâ corripuntur, sanguinem fundunt, saniem, ichorem-ve, aut his non tentantur accidentibus; quæ quidem differentiæ ex signis & symptomatibus petendæ.

V I I.

PRO variâ in Genitalibus sede Polyporum, varia difficiliorque nonnunquam diagnosi. Qui ipsomet uterî fundo adnascitur Polypus, frequentior (b) habetur. Primò quidem delitescit hæc excrementiæ uterinæ species; pedetentim verò per diès adeò augefcit, ut haud rarò graviditatis faciat suspicionem (c), ac sæpius in vitâ fundis reperiatur. Si autem quâcumque de causâ, ampliatur uterî orificium, vel etiam, aucto peculiari uterî motu & constrictione, ex sinu proprio elidatur Polypus, vaginamque versùs prolabitur, mox compressis venis disruptisque sequitur sanguinis profusio major vel minor, assidua perio-

(a) Saviard. Obs. Chir. 36. Levret Libr. mod. laudat. p. 31. 46.

(b) Ephem. Nat. Cur. Cent. 9. Obs. 23. Cent. 10. Obs. 23. Fred. Hoffman, Dec. 2. Dissert. 3. de Ignor. uter. struct. §. 18. & c. Saviard. Obs. Chir. 36. Aquapend. Oper. Chir. Cap. 85. Levret. Obs. de Polyp. mod. laudat.

(c) Fred. Hoffman, loco citato §. 18.

dica-ve, cujus causa tactu facile dignoscenda (*). His accedit nonnunquam fluor albus, immodicus, humoris aquosi & acrioris, tumor primò indolens, pruritu ac inflammatione & livore interdum corripitur, veramque postea carcinomatis naturam induit (a).

V I I I.

MINUS frequens qui cervicem uteri obsidet Polypus. Jam verò hic vel in ipsametervice intrà orificium (b), vel in orificii ipsius margine (c) sedem suam extus obtinet. Prior exploranti digito ad uterum usque aditum quidem cedit, motum verò circularem digiti impedit, rarioremque experitur hæmorrhagiam. In posteriori autem casu liberum, sed obliquè inclinatum tactu percipitur orificium uteri; pediculo gaudet crassiori tumor facilius increfcens, rarioraque exoriuntur symptomata.

I X.

IN ipsamet vaginâ perrarò adnasci solent Polypî. Ex ipsius membranâ interiori, rugis-ve (d) elongatis propendent; tactu visuque facile percipiuntur, tantamque sæpius adipiscuntur molem, ut circa pudenda delabantur, atque uteri prolapsum mentiantur. Cæterum quo pacto ab uteri prolapsu & inversione, aliisque pudendorum tumoribus distingui queant Polypî, à læsâ partium actione mechanicâ, symptomatibusque peculiaribus petendum.

X.

PRO variâ Polyporum indole, causâ, situ, & accidentibus; instituenda prognosis.

* Digito tunc in vaginam intromisso percipitur corpus piriforme, cujus apex intra uteri orificium prominet. Levret *Libr. mod. laudat.* §. 1. Part. 1. p. 48.

(a) Tulpîi *Obs. Med. Libr. 3. Cap. 33 & 34. Silvaticus. Cent. 4. Consil. 66. 67. Bartholin Cent. 2. Histor. Anat. 58. Hildanus. Cent. 2. Obs. Chir. 52.*

(b) Poterii *in sign. curat. & singul. Obs. Cent. 3. Cap. 47. Act. erudit. Lipsiens. ann. 1696. Hildan. Cent. 1. Obs. 66. Viêt. Trincavel. Lib. 11. Cap. 15. Areteus acut. Lib. 2. Cap. 11. Bierlingius. Miscel. Nat. cur. Dec. 1. Ann. 2. Obs. 208. Segerus. idem. Dec. 1. Ann. 2. Obs. 121. Stalpart. Vanderwiegl. Obs. rar. Cent. 1. Obs. 87. Kerckring. Spicileg. Obs. Anat. 53. Silvatic. & Bartholin. loc. cit. Levret. Lib. laudat. pag. 49. Ruysch. Obs. Anat. Chir. 6.*

(c) Riolan. *Enchir. Anat. Lib. 2. Cap. 36. Commerc. Litter. Norimberg. ann. 1732. Hebdomad. 33. Ruysch. Obs. Chir. 6. Poter. Obs. sing. Cent. 3. Notâ in Cap. 46. Levret. loc. cit. pag. 57.*

(d) *Act. Berolin. Dec. 2. vol. 5. Hist. Acad. Reg. Sc. Paris. ann. 1705. Van Meeckren. Obs. Cap. 54. Platner. Institut. Chirur. §. 1446. Ephem. Nat. cur. dec. 2. Ann. 10. Obs. 181. Levret loc. cit. pag. 146. Riolan. Enchir. Anat. Lib. 2. Cap. 36. Bartholin Hist. Anat. Cent. 2. Histor. 58. Gorter. Chir. rep. Lib. 12. C. 6.*

Ad Polyporum curationem tanquam præcipua apud authores & practicos collaudantur media, sectio, avulsio distortio-ve, ustio, ligatura. Non æquè tuta varia hæc præsidia, licetque feliciorem quandoque habuerint exitum, iis ligaturam (*) esse anteponendam felix certiorque comprobatur experientia (a) (**).

X I I.

SCALPELLUM feliciter adhibitum plurima probant observata; (b) quantum verò periculi immineat ex hæmorrhagiâ difficilius sistendâ patet ex observatione Zacuti Lusitani (c) aliisque. Unde nunquam adhibendum concludimus.

X I I I.

UBI pediculus gracilis, exiguus, brevis, vaginæque aut orificio uterino extus adnatus comperitur, tanquam certior apud quosdam habetur avulsio (d) distortio-ve repetitis vicibus celebrata (*). Pediculus autem, in hoc casu, forcipis ope jam tum arripiendus, ne hujus distortio, cautè licet tractata, ultra primariæ Polypi adhæSIONIS punctum protrahatur. Ipsam verò, licet feliciter cesserit, vix tentandam censemus.

X I V.

A POLYPI uterini curatione prorsus removeantur cauteria

(*) Ligaturæ succedanea habeantur varia hæc media à Junckero Conspect. Chirurg. Tabul. 32. M.M. De la Faye (*) Puzos ad Polypi pediculum gradatim perstringendum, tandemque planè strangulandum excogitata: forsitanque hæc præponenda foret Methodus, ubi pediculus ad schirrum tendens, renitens, ligaturæque indocilis (*) Vid. Levret opus de Polyp. pag. 458. & tabul. 6. fig. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

(a) Stalpart Vanderwiel. Obs. Cent. 1. Obs. 87. Wierus. Libr. 1. pag. 942. Poterii Obs. & cur. Cent. 3. Cap. 46. Mauriceau Obs. 33 & 145. Jonston. idea. univ. Medic. Libr. 10. Tit. 11. C. 1. Art. 1. Dionis Operat. Chir. Demonstr. 3. pag. 282.

(**) Quomodo instituenda sit Polypi ligaturæ, ex ingeniosis à M. Levret. mediis propositis deducendum ex Lib. laudato. pag. 65. & seq.

(b) Actius Libr. 4. term. 4. Cap. 104. Tulpus Obs. Med. Libr. 3. Cap. 33. 34. Dionis Oper. Chir. Demonstr. 3. Aquapend. Chir. Cap. 85. Water Dissert. de Sarcomat. ex pudend. Secto. 1728. Platner. Chirurg. §. 1447.

(c) Prax. Med. Libr. 2. Obs. 86.

(d) Dionis Oper. Chirurg. Demonstr. 3. pag. 282. Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 1. Zuinger. Obs. 186. Heister Chirurg. Cap. 150. Juncker Conspect. Chir. Tab. 101.

(*) Sic leviori, sed continuâ eundem versùs locum pediculi distortionem, Polypum uterinum radicis evulsit Mag. Boudou hujusce Collegii, dum viveret, Magister, primariusque Nosoconii Parisiensis Chirurgus.

a quibusdam proposita: (a) sanè tunc crudelia, incerta, difficiliorumque adhibenda demonstrantur.

X V.

INTER rariora habeatur spontanea Polyporum excretio (b); felix quidem istud naturæ molimen (**): an verò huic sit absolute permittenda curatio, viderint periti rerum Chirurgicarum allimatores.

X V I.

DIÆTA tenui, remediisque internis aut externis, pro re nata variis, curationi perfectæ providendum.

(a) Verduc Patholog. Chirurg. Cap. 42. Celsus Lib. 6. Cap. 18. N. 11. Volterus. Schola obstetricum. Juncker. Conf. Chirurg. Tabul. 101.

(b) Marcel. Donat. Med. Hist. mirab. Lib. 4. Cap. 25. Rhodius Cent. 3. Obs. 53. Frederic. Hoffmann loc. cit. §. 19. Ruyfch. Anat. Ch. Obs. 6. Mauriceau de Partu. Tom. 2. Obs. 33. & 145. Levret loc. cit. Obs. 6. pag. 42.

(**) Polypus utero adnatus, intensiori systaltico, seu constrictorio uteri motu ac robore, è sinu interdum proprio exturbatur. Strangulato subinde, mediante orificii elatere, tumoris pediculo, succorumque circuitu planè præpedito, gangrænâ correptus, seu alimenti defectu marcescens Polypus, spontè deciduus, seu frustatim, seu in totum prolabitur.

Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. PRUDENTIO HEVIN, Liberalium Artium & Chirurgiæ Magistro, Consiliario & Serenissimæ Delphinæ Proto-Chirurgo, Therapeutices Chirurgicæ Professore, Demonstratore Regio, Academiarum Stockolmiensis & Lugdunensis Socio &c. tueri conabitur ANTONIUS-GUILLELMUS LACHAUD, Parisinus, in almâ Parisiensi Artium facultate Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Veneris 27^a. Julii anno Salutis 1753. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.